

per cribrum tenuibus foraminibus eicere oportet; deinde myrrham tritam seorsum admiscere et rursus utraque in unum diu terere atque ita in pilam coicere, et ibi cum concaluerint ictu pili, terebinthinam paulatim miscere, donec omnium unitas fiat. postea glycyrizam contusam et cribratam mortarioque nihilominus tritam sensim aspergere oportet. ubi haec bene mixta fuerint, dum calet medicamentum, plures accedant et pilulas faciant magnitudinis viciae. fit enim durissima haec arteriace et hoc ipso praecedat ceteras, quia linguae subiecta non facile solvitur et ita diutius exhibet suum effectum.

## Ad suspirium

LXXVI. Ad suspirium facit bene inter simplicia quidem acetum scilliten quod vocant cocleario ter quaterve sumptum in die. prodest et ipsa scilla, argilla circumdata et furno cocta purgatis exterioribus putaminibus, et quod tenerrimum est eius, mellis duabus partibus Attici mixtum et tritum bene, cocleario semel in die bisve sumptum. profuit multis pulmo vulpis in olla fictili ad cinerem redactus et datus mensura cocleariorum trium cum aquae calidae cyathis tribus, item pulmo cervi eodem modo factus et datus.

LXXVII. Prodest et hoc medicamentum evidenter: aluminis fissi  $\text{X}$  p. VI, opii  $\text{X}$  p. I. aqua exigua opium diluitur, miscetur alumini antea trito; fiunt globuli ciceris amplitudinis, dantur ieiuno ante cibum quaterni aut quini. hoc medicamentum et ad sanguinis eruptionem ex interioribus partibus facit et ad veterem tussim et ad phthisicos vel alios, qui purulenta excreant.

LXXVIII. Hoc quoque medicamentum ad suspirium satis commode proficit. sulphuris vivi  $\text{X}$  p. I, nitri  $\text{X}$  p. I, abrotoni quod tribus digitis comprehendi possit. haec contunduntur et teruntur curiose. cum opus est, dantur ex his coclearia duo cum duobus cyathis aceti calidi ieiuno.

LXXIX. Aliud medicamentum ad suspirium efficax valde, facit autem